quia oraculum respiciebant, utpote iuxta utrumque latus templi
regione posita. Item nonnulla candelabra sed ex utroque latere
templi in longum posita fuisse. Non enim dicendum est contra oraculum
posita, sed potius contra aquilonem sive contra meridiem, sicut et commen-
tarii [?] ibi stabant quem dictum est in exodo de illo uno candelabro quod absque
ulla dubietate ad meridiem iacebat. Posuit et candelabrum
in tabernaculo testimonii e regione mensae in parte australi.
Itemque in libro numerorum: Cum posueris VII lucernas contra eam
partem quam candelabrum respicit lucere debebunt. Et utrumque ergo ex parte
templi candelabra et utrumque erant mensae, quia scriptura divi-
na et ad inlustrationem ac refectionem utrumque dei populi condi-
ta est, quia nos in prosperis et adversis instruit ac lectis [?] sensibus [?]
reficere ne deficiamur et ne caecitate teneamur inlustrare con-
suevit. Utraque quoque misericordiae sibi suppositae hoc est scriptu-
rae iustorum opera utrumque nobis per quos in actione iustitiae et
ipsi consolatorium proponit. Sicut quamvis [?] inter candelabra
et lucernas earum typice dicta possumus recte intellegere.
Lucernae autem minores sunt, quia oleo sancti spiritus infusi et ipsi ignem dilecti-
onis accendunt in corde et proximis lucem scientiae praestiterunt in
lingua. Candelabra autem quae hic lucernas in sublime tol-
lunt ut longe lateque videri possint in ecclesia scripturarum esse
factorum [?] quae sanctorum nobis vitam et doctrinam sua lectione
demonstrant. Qui videlicet interpretationi adiuvat sermo domini
quod dicit de iohanne: Ille erat lucerna ardens et lucens. Possumus
etiam recte aptissime dicere quia lucernae divina sunt eloquia iux-
ta illud psalmistae quod et supra posuimus: Lucerna pedibus meis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Lyon, BM, 788, f. 87-88 + Paris, BNF, Baluze 270, f. 107-108.132-158, ParisBNFBaluze270_330_f157v – Bede, <i>De templo Salomonis</i>, annotated by Florus of Lyons (https://fragmentarium.ms/view/page/F-v2mv/426/6282)